

Versions Latines pour les « Continuants »

19. — Scrupules de conscience d'un avocat.

Veniebat ad me et saepe veniebat Autronius miles s.r.l. lacrimis supplex ut se defenderem et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse ; multa mea in se, nonnulla sua in me etiam proferbat officia. Quibus ego rebus, iudices, ita flectebar amico atque frangebar ut iam ex memoria quas mihi ipse fecerat insidias deponerem, ut iam inmissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in meis sedibus, in conspectu uxoris ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer. Quae si de uno me cogitasset, quid molitum sum animi ac lenitate, numquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissim. Sed cum mihi patriae, cum uestrorum periculis, cum huius urbis, cum illorum delubrorum atque templorum, cum puerorum infantum, cum matronarum ac virginum veniebat in mentem et cum illae infestae facies universumque totius urbis incendium, cum tela, cum caedes, cum civium cruor, cum cinis patriae versari ante oculos atque animum memoria refricare coeperat, tum denique ei resistebam, neque solum illi hosti ac parricidae, sed his etiam propinquis illius, Marcellis patri et filio, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat ; neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod malefium in aliis vindicassem, idem in illorum socio, cum scirem, defendere.

(Aix)

Pro P. Sulla, 18.

PLINE LE JEUNE

27. — Disgrâce des lectures publiques.

C. Plinius Sosio Senecioni Suo s.

Magnum prouentum poetarum annus hic attulit ; toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Iuvat me quod uigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. Plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conerunt ac subinde sibi nuntiarum iubent an iam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum ; tunc demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt ; nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere.

At hercule memoria parentum Claudium Caesarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur audissetque clamorem, causam requisisse ; cumque dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque uenisse.

Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non venit, aut si uenit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse. Sed tanto magis laudandi probandique sunt quos a scribendi recitandique studio haec auditorum uel desidia uel superbia non retardat.

Equidem prope nemini defui. Erant sane plerique amici.

(L'AR)

1, 13.

QUINTILIEN

31. — Le surmenage n'est pas à craindre pour les enfants.

Queri solet an, etiam si discenda sint puero multa, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi possint. Negant enim quidam, quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat, et, si maxime patiatur hoc aetas robustior, pueriles annos onerari non oporteat. Sed non satis perspiciunt quantum natura humani ingenii valeat ; quae ita est agilis ac velox, sic omnem partem ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum, in plura vero non eodem die modo, sed eodem temporis momento vim suam impendat. An vero citharædi non simul et memoria et sono vocis et plurimis flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra percurrunt, alios læva trahunt, continent, præbent ; ne pes quidem otiosus certam legem temporis servat, et hæc pariter omnia ? Quid ? nos, agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus, cum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio, gestus, pronuntiatio, vultus motusque desiderantur ? Quæ si velut sub uno cœctu tam divera parent simul, cur non pluribus curis horas paciamur, cum præsertim reficiat animos ac reparet ipsa varietas ?

(Chenonce)

1, 12, 3.

LUCAIN

19. — César visite les ruines de Troie.

Circumit exustae nomen memorabile Trojae
magnaue Phoebei quaerit vestigia muri.
Iam silvae steriles et putres robore trunci
Assaraci pressere domos et templa deorum
iam lassa radice tenent, ac tota teguntur
Pergama dumetis ; etiam periére ruinae.
Aspicit Hesiones scopulos, silvaque latentes
Anchisae thalamos, quo iudex sederit antro,
unde, puer raptus caelo, quo vertice Nais
luxerit Oenone ; nullum est sine nomine saxum.
Insciss in sicco serpentem pulvere rivum
transierat, qui Xanthus erat ; securus in alto
gramine ponebat gressus ; Phryx incola manes
Hectorcos calcare vetat ; discussa jacebant
saxa nec ullius faciem servantia sacri :

« Herceas, monstrator ait, non respicis aras ? »

O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
eripis et populis donas mortalibus aevum.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae ;
nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
venturi me teque legent ; Pharsalia nostra
vivat, et a nullo tenebris damnabimur aevo.

Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
erexit subitas congestu caespitis aras
votaque turicremos non inrita fudit in ignes.

(BESANÇON)

Pharsale, 9, 96